DE COLEOPTERIS,

QUAE

OSCARUS ET ALFREDUS BREHM

IN AFRICA LEGERUNT,

DISSERUIT

J. H. APETZ.

ALTENBURGI,
EX TYPOGRAPHEO AULICO.
MDCCCLIV.

Duae potissimum causae afferri solent, cur geographia insectorum etsi dudum inchoata et a viris doctis adumbrata tamen ne hodie quidem perfecta et omnibus numeris absoluta possit existimari. Primum enim ex iis, qui in hac doctrina explicanda versati sunt, nemo adhuc exstitit, qui tanto ingenii acumine tantaque experientiae copia instructus fuerit, ut, quemadmodum Alexander de Humbold plantarum geographiam, ita insectorum geographiam, ut ita dicam, uno impetu conscriberet et viris harum rerum peritis satisfaceret.

Deinde ei, qui se ad opus tanti laboris accingit, in ipso limine quaestio exoritur, num tempus jamjam adsit, quo sperare liceat fore, ut ejusmodi conatus prospere succedat. Quam viam ingredi oporteat eos, qui in hoc opere studium et operam collocaturi sint, demonstravit *Fabricius**) ille, quem entomologi Linnaeum suum praedicare consueverunt. Vestigia ejus secutus *Latreille*, plaeclarissimus Gallorum entomologus, qui aedificio ab illo incepto nova eademque firmiora fundamenta substruxit docuitque, quemadmodum in his rebus investigandis versandum esset, accuratius definivit. Omnibus autem, qui postea hoc argumentum tractandum sibi sumserunt, palmam praeripuit *Lacordaire***). Anno enim 1838 institutionum entomologicarum partem secundam edidit, cujus in cap. XIV. p. 528 seqq. de geographia insectorum haud scio doctius, an elegantius disseruit. Non equidem vereor, ne viri celeberrimi laudes detrectare videar, quum dico, omnia eum praestitisse, quae tum temporis praestari potuerunt. Ipse enim ingenue profitetur, se dissertationem suam pro adumbratione potius haberi velle, quam pro opere perfecto et absoluto. Se enim reputantem, quam incerta et imperfecta harum rerum cognitione utamur, valde dubitare, num eo loco jam constituti simus, ubi varia haec et disjecta membra in unum corpus colligi et in perfectiorem disciplinae formam redigi possint.

Quae ante tria lustra vera fuerunt, quidni hodie vera esse videantur? Innumerabilia quidem insecta postea in omnibus terrae partibus reperta in indicibns relata sunt. Neque in eo acquiescendum esse putaverunt entomologi, ut eorum formas et partes describerent, colores depingerent, actionum vitalium causas et rationes explicarent; sed rem nimis neglectam retractantes horum animalium stationes et habitationes, quas vocant, diligentius observaverunt, omnia, quae spectant ad situm et

---

*) ***Fabricius*** philosophia entomologica. Hamburgi et Kiliae 1778. p. 154. §. 20.
) ***Lacordaire* introduction à l'entomologie, T. II. Paris 1838. p. 528. chap. XIV.

naturam locorum, ubi brevi sua vita defunguntur, accuratius notaverunt et sic materiam cumulaverunt, ex qua qui disciplinae nostrae studium et operam navare cupiat, summam capiet utilitatem.

At hujus apparatus copia desiderio nostro longe inferior est. Quum enim tabulas geographicas perlustramus, animus stupefactus haeret in vastis illis terrae regionibus, quae Europaeorum manibus insectorum rapacibus intactae remanserunt, vel levia tentamma vix perpessae sunt. Longum est, has omnes enumerare et a consilio meo alienum. Advertant, quaeso, lectores animum ad interiorem Africam inter duos Oceanos et circulos tropicos inclusam. Ingens, mehercule, terrarum spatium, cujus in campis et montibus quot insecta vel corporis magnitudine insignia, vel formae insolentia mirabilia, vel colorum varietate et splendore eximia latere suspicari licet, quum Tefflos, Goliathos, Charaxes, alia id genus respicimus! Suspicari licet, inquam; re vera enim totus ille tractus exceptis aliquot regionibus in ora maritima sitis terra incognita est. Nec mirum. Multi Europaei, quos laetissima spe prosequebamur, quum in adyta Africae penetrare conarentur, cum coelo pernicioso, cum peregrinationum molestiis, cum infesto incolarum animo misere luctati vel mortem occubuerunt, vel longe a contentionum termino revertere coacti fuerunt. Quo factum est, ut spes omnes, quas de iis conceperamus, irritae caderent. Tantum igitur abest, ut a Lacordairei sententia supra commemorata recedentes jam tempus adesse dicamus, quo de ratione, qua insecta supra totum terrarum orbem distributa sint, certius aliquid statui possit, ut vix post longam annorum seriem entomogeographiam (venia sit verbo!) exspectari liceat.

Quae quum ita sint, summas laudes merebuntur fortes illi viri, qui neglectis humanioris vitae amoenitatibus nec sudori nec valetudini parcentes, omnia, quae vitam ornant, spernentes, famam sitimque perferentes, multiplici denique mortis periculo circumventi longorum itinerum molestias toleraverunt hoc uno consilio, ut historiae naturalis studiis nova subsidia compararent atque auxillia utilissima suppeditarent. In hoc nobilissimo virorum coetu receptos videmus *Oscarum* et *Alfredum Brehm*, filios celeberrimi Europae ornithologi, qui avium genera et species summo mentis acumine distinxit earumque mores et amores eo sermonis lepore enarravit, quo nemo unquam alius. Hos utique viros in illorum numerum receptos suspicimus ea cum animi affectione, qua nos commotos sentimus, ubi virtutes et merita in patriae civibus eluxerunt. Recens est famosae expeditionis memoria, quam a Barone *de Müller* parari accepimus eo consilio, ut ipse cum sociis ad Nili fontes adscenderent, quam longissime meridiem versus progrederentur, ea, quae ad accuratiorem Africae interioris cognitionem pertinerent, omnia diligentissime explorarent. Audivimus de sumptus profusione, suppellectilis magnificentia, rerum necessariarum provisione ita ut nihil praetermisisse videretur expeditionis auctor, quo magnos conatus auspicatis viam patefaceret et praemuniret.

Duci expeditionis, quum socium sibi adjungere cuperet, qui cum caetera animalia, tum maxime aves venandi et conservandi artem calleret, ab amicis *Alfredus Brehmius* commendatus est utpote qui studio historiae naturalis a puero deditus et egregia disciplina patris institutus imprimis idoneus esset, qui eum opera sua adjuvaret. *Alfredus* noster, etsi tunc aliam vitae rationem sequeretur, tamen ad altiora conamina evocatus libenter paruit; etenim ab ipso numine divino ad hoc iter

suscipiendum evocari sibi videbatur. Patria igitur derelicta Tergeste profectus est, unde mare internum secunda navigatione trajectus Alexandriae appulit.

Postea litterae allatae sunt, quae parentum animos de filii sorte sollicitos lenire et ad spes laetissimas erigere possent. At eaedem litterae multo vehementius *Oscari* fratris animum commoverunt. Imago fratris dilecti in Pharaonum terra nunc avibus rarioribus insidiantis, nunc insecta pulchella captantis, nunc sub umbra palmarum ab excursionis laboribus requiescentis et interdiu et noctu ei ob oculos versabatur et entomologiae amorem aliis negotiis restinctum ad tantum ardorem excitavit, ut ne matris quidem lacrymis retineri posset, quin fratrem sequeretur itineris labores et fructus cum eo partiturus. Oh, quam fatales erant illae lacrymae carissimae matris nunc alterum quoque filium sibi ereptum deplorantis!

Ominibus nunc minus faustis, quam olim *Alfredus*, in Africam transjecit; nam post longas demum ambages tempestatibus exagitatus Alexandriam advenit, ubi fratres amplexus et lacrymas miscuerunt. *Oscarus* navigatione infesta graviter afflictus in morbum incidit. Viribus autem post septimum diem refectis agros Alexandrinos pervagari incepit, ac dum Africae insecta investigabat, cum summa animi delectatione desiderium illud expletum sensit, quo ex patria in has remotas regiones abreptus erat. Alexandria relicta cum fratre Cahiram profectus est, ubi navigium, quali incolae utuntur, conscenderunt. Adversis Nili undis provecti per Aegyptum et Nubiam in Dongolae provinciam pervenerunt. *Oscarus* toto itinere, ubicunque temporis et loci opportunitatem nactus est, in terram egressus omnium ordinum insecta corripuit. Quae venationes quum quotidie praedam rariorem praeberent, non jam dubitaverunt, quin, quo longius meridiem versus progrederentur, eo insolentiorem insectorum habitum eoque majorem eorum numerum inventuri essent. Num mirabimur, quod juvenis ardore plenus ingenti novorum usque cognoscendorum ac discendorum cupiditate accendebatur et maximo cum desiderio in Africae interioris arcana prospiciebat?

At dies fatalis jam instabat, quo, quam fallaces essent mortalium spes, iterum intellectum est. *Oscarus* enim d. 8. m. Maji 1850 a fratre rogatus, ut membra diei caloribus laxata Nili aquis refrigeraret, in flumen vix descenderat, quum repente nemine casum graviorem suspicante in undas immersus et de oculorum conspectu subductus est. Frustra advolavit *Alfredus* fratri in ultimo vitae discrimine versanti opem laturus. Sed corpus tantum ejus, quod indigenae ad auxilium ferendum arcessiti post dimidiam demum horam reperire potuerunt, exanimatum in littore depositum est. Neque adstantium planctus, neque fratris lacrymae eum ad vitam revocare potuerunt. Postridie ab expeditionis sociis et proceribus *Novae Dongolae* oppidi funus solemni pompa elatum in agro christianorum Copticorum sepulcris consecrato conditum est. Quicunque vel domi, vel in funesto itinere cum eo familiariter vixerunt, laudibus extollunt animi ejus candorem, morum probitatem, sermonum alacritatem, studiorum ardorem et assiduidatem. Quas ingenii virtutes itineris comitibus ita comprobavit, ut praematura ejus morte amico potius, quam socio se orbatos esse profiterentur. Tumulus multis amicorum lacrymis irrigatus locum designat, ubi juvenis deplorandi ossa sepulta jacent. Sit ei terra levis!

Alfredus ex fratris moerore paulum recreatus quo modo iter continuaverit, quemadmodum Chartnmae, Sennaariae oppido desertus fuerit ab iis, quorum fide fretus

periculosissimum iter susceperat, quo modo omnium rerum penuria oppressus et infirma corporis valetudine conflictatus animo tamen non defecerit, sed fortiter et tenax propositi provinciam sibi demandatam strenue administraverit, hoc loco non exponam; in libro enim, quem proxime editurus est *Alfredus Brehm*, haec omnia enarrata iegemus. Illud autem meum esse putavi, ut viro optime merito propter operam, quam assiduam eandemque prosperrimam in rebus entomoligicis posuit, entomologorum nomine gratiam quam maximam in hoc libello testarer. Omne enim tempus, quod ei ex victus cura et ex avium vel venatione vel conservatione relinquebatur, ad insecta omnium ordinum conquirenda adhibuit, idque sibi tanquam pietatis in fratrem officium imposuit, ut scilicet laborem ab illo inceptum persequeretur, nova entomologiae subsidia afferret. Ac maxima sane attulit! Nam in *Chartumae* agris, ubi diutius commoratus est, et in itineribus, quae ripas Fluminis coerulei legens usque ad 13° l. s. extendere potuit, insectorum tum rariorum, tum ad hunc diem incognitorum permagnum numerum congessit. In patriam reversus totam hanc congeriem curis meis demandavit. Quam quum accuratius perlustrarem, facile mihi apparuit, tantam insectorum copiam pertractari et describi non posse, nisi ab eo, qui laetiore otio et ampliore apparatu gauderet, quam quibus ego nunc utor. At ne possessoris voluntati omnino deessem, illud certe mihi agendum esse putavi, ut insecta ab interitus periculo tuerer, omnia in ordine quodam disponerem, paucas coleopterorum in Africa calidiore habitantium familias accuratius percenserem, nomina eorum, quae jam descripta essent, nulla uberioris synonymiae ratione habita indicarem, nova quaedam describerem, de omnibus denique ita dissererem, ut intelligi posset, nun parum utilitatis harum rerum peritos ex iis capturos esse. Quod si mihi, ut praestarem, contigit, demandatam mihi provinciam non male administravisse mihi videbor.

Itaque has pagellas benevole accipe, candide lector! Noli, quae Tibi offero, assensu Tuo omnino indigna judicare; sin autem minus placeant, certe tamen scito, officiosum me potius, quam vanae gloriolae cupidum haec pauca scripsisse.

Cicindelae.

1. Cicindela dorsalis. Dej.
   Dej. Sp. T. II. p. 426 n. 139.*)
   Symb. phys. Dec. III. n. 5. T. XXI. f. 5.**)
   Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar, Abu-Harrass (A. Brehm). — Habitat etiam in Aegypto et Senegambia (Dej.).

---

*) *Dejean* Species général des Coleoptères de la collection de M. le Comte Dejean Tome I — V. Paris 1825 — 1831.

**) *Klug* Symbolae physicae, seu Icones et Descriptiones Insectorum, quae ex itinere per Africam borealem et Asiam occidentalem Hemprich et Ehrenberg redierunt Decas I—V. Berolini 1828 — 1845.

2. **Cicindela fimbriata.** Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 240 n. 169.
Patria: Dongola (O. Brehm). — In Senegambia (Dej.).

3. **Cicindela aegyptiaca.** Klug — Dej.
Dej. Sp. T. I. p. 96 n. 79. et T. V. p. 213 no. 79.
Symb. phys. D. III. n. 7. T. XXI. f. 7.
Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar, Abu-Harrass (A. Brehm). — Praeterea in Aegypto, in Tanger, in Senegambia (Dej.) et in Angola (Erichs. in Wiegm. Arch. Jahrg. IX. p. 204).
Annot: Cicindelam melancholicam Fabr. hujus speciei varietatem in insulis et oris maris interni indigenam Africae tropicae deesse crederem, nisi comes Dejean eam a Schoenherro ex Sierra Leona allatam sibi missam esse affirmaret (cf. Dej. Sp. T. V. p. 243 n. 171). Omnes ab Oscaro et Alfredo Brehm in Dongola et Sennaar captae ad eam formam pertinent, quae a Dejean. Cic. aegyptiacae nomine primum desccripta est.

4. **Cicindela rectangularis.** Klug.
Symb. phys. D. III. n. 8. T. XXI. f. 8.
Patria: Dongola (O. Brehm).

5. **Cicindela regalis.** Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 251 n. 179.
Patria: Sennaar, Abu-Harrass (A. Brehm). — Habitat etiam in Senegambia (Dej.).
Annot: Haec splendidissima species septentrionem versus vix ultra gradum quintum decimnm l. s. procedit.

6. **Cicindela nilotica.** Klug — Dej.
Dej. Sp. T. I. p. 119 n. 101.
Patria: Dongola (O. Brehm).
Annot: Alfredus Brehm mihi narravit, interdiu solis radiis ardentibus volatum cicindelarum esse rapidissimum, quare eas difficillime deprehendi. Prima luce autem, ubi somno et rore nocturno graves plantarum foliis et caulibus inhaererent, se haustore (quod instrumentum entomologi Schoepfer, Koescher nominant) plantas riparias perstringentem uno tractu magnam earum copiam corripuisse.

Carabi.

7. **Zuphium ruficeps.** n. sp.
Patria: Sennaar (A. Brehm).
Rufum; elytris striatis, fuscis, tribus maculis rufis. Long. 4'''
A Z. olenti capite rufo, antennarum articulo primo toto rufo, elytrorum striis paulo pr'ofundioribus pedibusque pallidioribus diversum.

8. **Cymindis suturalis.** Dej.
Dej. Sp. T. I. p. 206 n. 5.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus (Dej. — O. Brehm).

9. Brachinus posticus. Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 424 n. 62.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Senegambia superior (Dej.)

10. Brachinus nobilis. Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 415 n. 52.
Symb. phys. D. III. n. 3. T. XXII. f. 6.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Nubia. Dongola (Dej.).

11. Graphipterus lineatus. Klug.
Symb. phys. D. III. n. 3. T. XXII. f. 9.
Patria: In Sennaar et in ripis fluminis coerulei (B. Brehm). — Habitat prope Suckot Nubiae (Klug).

12. Graphipterus Sennaariensis. Laporte.
Patria: Dongola (A. Brehm).

13. Anthia marginata. Klug — Dej.
Dej. Sp. T. I. p. 347 n. 8.
Patria: Sennaar et ripae fluminis coerulei (A. Brehm). — Nubia (Dej.)

14. Siagona Alfredi. n. sp.
Patria: Sennaar.

Atra, nitidissima, laevis, elytris serie scrobicularum impressis. Long. 11'''. *Lat.* 4'''.

Species insignis, pro genere grandis, superficie paulo convexiore laevissima a reliquis hujus generis diversa.

Mandibulae breves, fortes, intus dente armatae, extus valde incurvae, apice acutae. Caput magnum, fere quadratum, laeve, carina utrinque ab antennarum insertione ad oculos porrecta instructum. Thorax longitudine duplo latior, lateribus anguste marginatus, rotundatus, pone medium valde augustatus, cordiformis, antice late emarginatus, angulis anticis acutis paulum deflexis, basi truncatus, angulis rectis, laevissimus, in medio linea satis profunda basin non attingente impressus. — Elytra thorace triplo longiora, basi angulos thoracis vix superantia, nec adeo pone medium dilatata, quin fere parallela appareant; apice conjunctim rotundata; plana, laevissima; in utroque sex scrobiculae, serie propius a sutura quam a margine, aequis fere intervallis dispositae; praeterea intra humerum singula conspicitur; altera series punctorum insculptorum a basi ad apicem proxime marginem decurrit. Antennae forma eadem, qua in caeteris; articulis quatuor primis glabris, sequentibus pubescentibus, at minus, quam in S. *fuscipede* aliisque. Pedum statura a caeteris vix differt, nisi articulis tarsorum praesertim in primo pari longioribus et capillis fulvis in tibiarum anteriorum incisura densioribus.

15. Siagona rufipes. Fabr.
Dej. Sp. T. I. p. 358 n. 1. et T. V. p. 475 n. 1.
Cucujus rufipes Fabricius Ent. syst. II. 94. n. 3.
Patria: Sennaar (A. Brehm). Barbaria et Europa, ubi in extremo Hispaniae meridie vivit.

16. Siagona fuscipes. Bonelli.
Bonelli. Observations entomologiques 2. p. 26. n. 2.
Dej. Sp. T. I. p. 359 n. 2. et T. V. p. 476 n. 2.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus. Senegambia.

17. Siagona senegalensis. Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 476 n. 10.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Senegambia Dej.

18. Siagona europaea. Dej.
Dej. Sp. T. II. p. 468 n. 9.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm).
Annot: Omnes hujus speciei Siagonae, quas O. et A. Brehm in Sennaar et Aegypto collegerunt, pubescentia densiore et longiore ab europaeis differunt. Formae autem et puncturae diversitates vel acrior inquisitio haud facile inveniet. Itaque eas ad S. europaeam adjungere non dubitavi.

19. Scarites procerus. Klug — Dejean.
Dej. Sp. T. I. p. 372 n. 5.
Symb. phys. D. III. n. 1. T. XXIII. f. 3.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Nubia (Dej.).

20. Scarites asphaltinus. Klug.
Symb. phys. D. III. n. 3. T. XXIV. f. 1.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Arabia deserta (Klug).

21. Clivina grandis. Dej.
Dej. Sp. T. II. p. 478 n. 22.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Senegambia (Dej.)

22. Clivina rugiceps. Klug.
Symb. phys. D. III. T. XXIII. f. 6.
Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus superior et Nubia (Klug).

23. Apotomus flavescens. n. sp.
Patria: Dongola. Sennaar (A. Brehm).
Flavescens, dense pubescens, pedibus pallidioribus. Long. 2'''.
Simillimus quidem Apotomo rufo Oliv. elytris tamen paulum latioribus, brevius at densius pubescentibus, corporis colore praesertim pedum dilucidiore diversus esse videtur.

24. Calosoma rugosum. Degeer.
Carabus rugosus Degeer. VII. p. 627 n. 23. T. 47. f. 2.
Dej. Sp. T. II. p. 202 n. 9.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). Prom. Bon. Sp. (Dej.)

25. Calosoma chlorostictum. Klug.
Symb. phys. D. III. n. 1. T. XXIII. f. 10.
Calosoma rugosum var. Dej. Sp. V. p. 558 n. 9.
Patria: Dongola (O. Brehm).
Annot: Comes Dejean hanc speciem Cal. rugosi varietatem esse judicavit; at praeter habitum diversum — nam est paulo longior et angustior — accuratius perscrutanti aliae etiam differentiae se offerunt, quas celeberr: Klug, quo solet acumine, ita exposuit: „a Cal. rugoso, cuiquam maxime affinis, differre tamen videtur colore in omnibus nigro potius, quam aeneo, punctis impressis semper viridi-coeruleis, nec unquam cupreo-aeneis thoraceque confertim qui-

dem punctatis, haud tamen scabris, elytrorum striis denique laevibus potius, quam crenatis."

Accedit, quod in sola Dongolae provincia, nec usquam alibi inventum est.

26. **Colosoma imbricatum.** Klug.
Symb. phys. D. III. n. 2. T. XXIII. f. 11.
Patria: Sennaar, Abu-Harrass, ripae fluminis coerulei (A. Brehm). — Praeterea Dongola (Klug).

27. **Omophron tessellatum.** Dej.
Dej. Sp. T. II. p. 260 n. 3.
Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (Dej.).

28. **Chlaenius transversalis.** Dej.
Dej. Sp. T. V. p. 617 n. 71.
Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar, Abu-Harrass, ripae fluminis coerulei (A. Brehm).
Annot: 1) Comes illustris *Chl. interruptum* Klug, Aegypti incolam, ab ipso celeberrimo auctore nomine indicato acceptum hujus speciei varietatem esse arbitratus est.
Annot: 2) Maculae quatuor fasciam formantes plerumque cohaerent, interdum elytrorum colore disjunctae sunt; raro macula septimi intervalli omnino deest.

29. **Chlaenius sulcipennis.** Dej.
Dej. Sp. T. II. p. 307 n. 9.
Patria: Dongola (O. Brehm). — Nubia (Dej.).

30. **Chlaenius togatus.** Klug.
Symb. phys. D. III. n. 5. T. XXIV. f. 6.
Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar (A. Brehm).

31. **Epomis circumscriptus.** Dufts.
Carabus circumscriptus Duftschmidt Fauna Austriaca T. II. p. 166 n. 219.
Epomis circumscriptus Dej. Sp. T. II. p. 369 n. 1.
Patria: Dongola (O. Brehm). — Nubia, Senegambia (Dej.). Angola (Erichson. Vide ejus dissertationem de Fauna insectorum Angolensi in Wiegm. Arch. für Naturgesch. Jahrg. IX. p. 205). — Italia, Gallia meridionalis (Dej.). Austria (Dufts.).
Annot: Hoc insectum in illis numeratur, quae per amplissimos terrarum tractus sparsa sunt. Nam ut a septentrione meridiem versus a Gallia meridionali per totam fere Africam usque ad regnum Angolense procedit, ita e Senegambia per interioris Africae plagam radices montium Abyssiniae attingit. In Africa calidiore paulo minoris staturae est, quam in Europa, quod jam Dejean animadvertit in Sp. T. II. p. 370.

32. **Feronia conformis.** Dej.
Poecilus parallelus Klug.
Dej. Sp. T. III. p. 230 n. 22.
Patria: Chartum (A. Brehm).

33. **Argutor aeneus.** Dej.
Dej. Sp. T. III. p. 247 n. 38.
Var. *Argutor bicolor* Klug (i. l.) abdomine subtus et pedibus ferrugineis.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm. Dej.)

Annot: In immaturis color pallidus et minus metallicus. Ad hos pertinet A. bicolor Klug (i. l.) abdomine pedibusque ferrugineis. Rarius etiam elytra obscure ferruginea sunt.

34. **Platymetopus tessellatus.** Dej.

Dej. Sp. T. IV. p. 78 n. 8.

Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar (A. Brehm). — Senegambia (Dej.)

Annot: Macularum in elytris situs semper idem, ambitus vero et numerus variabilis; modo una et altera deest, modo longius productae sunt ita, ut strias efficiant.

35. **Acupalpus disciger.** n. sp.

Oblongus, rufo-testaceus; elytris striatis, pone medium macula communi rotunda nigro-violacea; pedibus pallidioribus. Long. 2‴.

Patria: Sennaar (A. Brehm).

Unum hujus lepidissimi insecti specimen misere mutilatum ad accuratiorem descriptionem vix idoneum videatur.

36. **Bembidium niloticum.** Dej.

Dej. Sp. T. V. p. 73 n. 36.

Patria: Dongola (O. Brehm). Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus (Dej.).

Annot: Paulo ante maculam apicalem alia rotunda ejusdem coloris prope marginem sita conspicitur, quae, quamquam interdum obsoletior, in iis tamen, quae inspicere mihi licuit, nunquam omnino deest. Caeterum cum Dejeanii descriptione congruunt. Qui cognitum habent, quam facile istae maculae in *B. pygmaeo Fabr., B. guttula Gyll.* et aliis hujus generis insectis obsolescant, non mirabantur, quod earum in Dejeanii descriptione nulla mentio facta est.

37. **Bembidium aegyptiacum.** Dej.

B. pallipes Klug (i. l.).

Dej. Sp. T. V. p. 90 n. 50.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm. Dej.)

38. **Bembidium Copticum.** n. sp.

Nigro-piceum, paulum aeneo-micans, thorace transverso, convexo, elytris oblongo-ovalibus, striis quatuor profundioribus, macula rufo-testacea. Long. $1\frac{1}{3}$‴.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus superior (O. Brehm).

Nigro-piceum, nitidum vel aeneo-micans. Caput triangulare, antice lineis duabus brevibus parallelis impressum. Antennae fuscae, articulis primo et secundo rufo-testaceis. Thorax transversus, convexus, lateribus rotundatus, ante marginem posticum linea impressa, utrinque in foveolam exeunte; elytra oblongo-ovalia, humeris obtusis, apice rotundata, vix sinuate, striis tribus dorsalibus profundioribus, prima suturali integra, secunda ante basin et apicem abbreviata, tertia brevior adhuc, quam secunda; praeterea prope marginem stria quarta integra. Corpus subtus nigrum nitidum. Pedes rufo-testacei femorum basi picea.

Similis *B. assimili* Gyll., abs quo thoracis forma et striis paucioribus non punctatis facile discernitur.

39. **Bembidium ornatum.** Klug (ined.) n. sp.

Viridi-aeneum; thorace transverso, subquadrato, utrinque bifoveolato; elytris punctato-striatis, maculis in utroque duabus, altera pone humerum oblonga, altera ad apicem lunata, flavis. Long. 2.'''

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus superior (O. Brehm).

B. statura Amarae parvae (B. amaroides Kollar?), viridi-aeneum; caput triangulare laeve, duabus striolis juxta oculos brevibus parallelis; ore et palpis flavo-testaceis; antennarum articulis quatuor primis flavo-testaceis, sequentibus obscurioribus, pubescentibus. Thorax subquadratus, marginibus ante medium paulo dilatatus, margine antico emarginatus, angulis anticis obtusis, basi bisinuatus, angulis posticis acutis, intra basin transversim impressus foveolisque duabus exsculptus; linea media longitudinalis marginem anteriorem non attingit. Elytra oblongo-ovata, ad basin thorace lateriora, punctato-striata, striis septem ornata, suturali integra, quatuor sequentibus basi apiceque abbreviatis; sexti loco punctorum series brevissima conspicitur; septima ad apicem cum marginali conjuncta est; brevis striola profunda ab apice excurrens quintae striolae dorsalis rudimentum esse videtur; in utroque macula oblonga pone humerum, altera ad apicem lunata flava. Corpus subtus piceum, nitidum. Pedes pallidi.

Dytisci.

40. **Cybister africanus.** Laporte.

Lap. Etud. ent. p. 99.

Patria: Sennaar (A. Brehm). — Tota Africa, Sicilia, Sardinia, Hispania (Aubé).

41. **Eunectus sticticus.** Linné.

Dytiscus sticticus Linné. Systema Naturae II. p. 666. n. 12. Fabr. E. S. T. I. p. 191 n. 16.

Dytiscus griseus Fabr. E. S. T. I. p. 191 n. 17.

Annot: Fabricius primus formam genuinam in E. S. D. grisei nomine edidit. Vereor autem, si clar. Aubéi rationem sequens hoc nomen praevalere jubeam, ne a legibus de nominum auctoritate praescriptis recedam.

Omnes fere hujus speciei dystisci in Dongola, Sennaar aliisque regionibus australioribus capti ad formam pertinent, quam clar. Klug in Symbolis physicis E. succincti nomine publicavit. Pauci tamen thoracem fsacia nigra in medio vel angustata, vel interrupta, ornatum habent.

In magna horum insectorum copia ab A. et O. Brehm collecta ne unum quidem exemplum E. helvoli Klug (Symb. phys. D. IV. n. 2. T. XXXIII. f. 3.) integrum conservatum est. Exstant tamen duo trunci capite cum thorace mutilati, quos in hac specie numerandos puto.

42. **Hydaticus signatipennis.** Laporte.

Lap. études entom. p. 95.

Aubé Hydrocanth. p. 158 n. 2*).

---

*) Aubé, Species général des Hydrocanthares et Gyriniens. Paris 1838.

Patria: Ripae fluminis coerulei (A. Brehm). — Senegambia (Aubé). ordofan, Angola, Madagascar, India orientalis (Erichson F. Angol. in Wiegm. Arch. Jahrg. IX. p. 205).

43. Hydaticus Leander. Rossi.
Rossi Fauna Etrusca I. p. 212.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm). Senegambia, Europa australis (Aubé).

44. Hydaticus bivittatus. Laporte.
Lap. études entom. p. 97.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Senegambia, Madagascar, Isle de France (Aubé).

45. Hydrocanthus guttula. Aubé.
Aubé Hydroc. p. 410 n. 6.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Madagascar, Isle de France (Aubé).

46. Hydroporus Solieri. Aubé.
Aubé Hydroc. p. 554 n. 57.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus (Aubé).

47. Hydroporus turgidus. Erichson.
Erichson, F. Angol. in Wiegmann Archiv Jahrg. IX. p. 221 n. 27.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm Mus. Ber.). Angola (Erichson l. c.).

48. Hydroporus signatellus. Klug.
Symb. phys. D. IV. n. 5. T. XXXIV. f. 3.
Patria: Sennaar (A. Brehm). — Dongola (Klug).

Gyrini.

49. Gyrinus distinctus. Aubé.
Aubé Icon. p. 385 pl. 43. f. 3.
Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm. Aubé). Nec frigidiores Europae aquas abhorret. Etenim si Gyr. colymbus Erichson eadem species est, quod hodie inter omnes entomologos constat, septentrionem versus adeo ad Berolini lacus adscendit. Cf. Erichson: *Die Käfer der Mark* T. I. p. 191 n. 2.

50. Orectocheilus sericeus. Klug.
Symb. phys. D. IV. n. 6. T. XXXIV. f. 12.
O. palliatus Klug. — Dejean Catal. ed. 3. p. 67.
Patria: Ripae fluminis coerulei (A. Brehm). Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm). Nubia (Aubé).

51. Orectocheilus glaucus. Klug.
Symb. phys. D. IV. n. 5 T. XXXIV. f. 11.
Patria: Sennaar (A. Brehm). Dongola (O. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm).

52. **Orectocheilus Oscari.** n. sp.

Oblongo-ovatus, convexus, brunneus, sericeo-pubescens, luteo-marginatus; elytris costa suturali laevissima ante apicem abbreviata; angulis apicis externis in spinam productis, internis acutis. Long. 4'''.

Patria: Dongola (O. Brehm).

O. sericeo Kl. similis, at paulo minor et angustior; thoracis lateribus, elytris subtilissime punctatis, striis eorum pubescentibus vix conspicuis; costa elytrorum suturali, cujus margo exterior sinuatus, postice angustiore ante apicem abbreviata praesertim ab illo distinctus.

53. **Dineutes subspinosus.** Klug.

Gyrinus subspinosus Klug symb. phys. D. IV. n. 3. T. XXXIV. f. 9.

Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Aegyptus (O. Brehm). Nubia, Senegambia, Madagascar, Isle de France, India orientalis (Aubé). Mauritius, Angola (Erichson F. Ang. in Wiegm. Arch. Jahrg. IX. p. 206).

Histri.

54. **Hister gigas.** Paykull.

Payk. Monogr. p. 9 n. I.*)

Patria: Abu-Harrass (A. Brehm). — Senegambia (Payk.).

55. **Hister nigrita.** Erichson.

Erichs. Histeroid. in Klug Jahrb. p. 131 n. 7.

Patria: Sennaar (A. Brehm). — Senegambia (Erichs.)

56. **Hister tropicus.** Payk.

Payk. Monogr. p. 18 n. IX.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Guinea (Payk.). Nubia (Erichs.).

57. **Hister impressus.** n. sp.

Ater, nitidus, ovatus, thorace utrinque bistriato, striis interiore paulo ante basin, exteriore pone medium abbreviatis, elytris striis dorsalibus duabus primis abbreviatis, segmentis abdominis duabus ultimis punctis profundioribus minus confertis, penultimo utrinque impresso. Long. 4'''.

Patria: Sennaar, Abu-Harrass (A. Brehm).

Ater nitidus. Frons parte anteriore abrupte angustata, stria ordinaria satis profunda; labrum a fronte impressione distinctum, parvum, transverse ellipticum; mandibulae capitis longitudine, dentatae. Thorax longitudine triplo latior, laevis, convexus, margine antico emarginato, lateribus vix rotundatus, margine postico truncato, angulis anticis acutis deflexis, posticis rectis, stria interiore integra cum stria secundum marginem anticum producta ita conjuncta, ut linea continua per totum thoracis ambitum decurrat; stria exteriore pone medium abbreviata, ad angulum anticum intus reflexa in lineam marginalem reclinata. Elytra thorace dimidio longiora, basi thoracis latitudine, pone humeros paulum dilatata, versus apicem angustata, striis dorsalibus primo in medio, secunda

*) Paykull, Monographia Histeroidum. Upsaliae 1811.

pone medium abbreviatis, reliquis quatuor integris; stria marginali exteriore nulla, interioris locum occupat brevissima tantum linea in medio inter sextam striam et marginem sita; fossa lateralis carina in duas partes divisa, quarum latior rugis transversis in areas quadratas divisa est.

Penultimum abdominis segmentum utrinque impressum, punctis majoribus praesertim versus marginem profunde impressis; segmentum ultimum simili modo insculptum, punctatum, puncta tamen praesertim in summo apice minora et minus profunda.

Tibiae pedum anteriorium dilatatae, tridentatae, posteriores in margine exteriore duplici spinarum ferruginearum serie armatae. Corpus subtus piceum, nitidum.

58. Hister memnonius. Erichson.

Erichson Histeroid. in Klug Jahrb. p. 134 n. 11.

„*Suborbicularis, ater, nitidus, mandibulis dentatis, thorace utrinque subunistriato, elytris stria dorsali prima obsoleta, secunda abbreviata, tibiis anticis tridentatis. Long.* $4\frac{1}{2}'''$." Erichson.

Patria: Dongola (O. Brehm).

59. Hister bimaculatus. Linné.

Linné Systema Naturae II. p. 567 n. 5.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus superior (O. Brehm). India orientalis (Payk.). Tota Europa.

60. Saprinus chalcites. Illiger.

Illig. Mag. T. VI. p. 40 n. 15.

Patria: Dongola (O. Brehm). — Aegyptus superior (O. Brehm). Europa australis.

Sieben und vierzigste Nachricht

von dem

Friedrichs - Gymnasium

zu Altenburg

auf das Schuljahr Ostern 1853 bis dahin 1854.

Als

Einladungsschrift

zu den

vom 3. bis 7. April 1854

in der Aula des Josephinum

stattfindenden

Schulfeierlichkeiten

von

Schulrath D. Heinrich Eduard Foss,

Director.

Beigefügt ist eine Abhandlung von Prof. J. H. Apetz: De Coleopteris, quae Oscarus et Alfredus Brehm in Africa legerunt.

ALTENBURG,

gedruckt in der Hofbuchdruckerei.

I. Ordnung der Schulfeierlichkeiten.

Die öffentliche Prüfung der Schüler des Gymnasiums wird vom 3. bis 6. April in nachstehender Ordnung abgehalten werden.

Montag, den 3. April Vorm. examiniren in Mittel-Secunda:
8 — 9 in der Naturgeschichte Hr. Prof. Apetz.
9 — 10 im Lateinischen Hr. Prof. Lorentz.
10 — 11 im Griechischen der Director.

Nachm. in Unter-Secunda:
2 — 2¾ im Lateinischen Hr. Prof. Zetzsche.
2¾ — 3½ in der Mathematik Hr. Prof. Braun.
3½ — 4¼ im Griechischen Hr. Prof. Lorentz.

Dinstag den 4. Vorm. in Ober-Secunda:
8 — 9 in der Religionslehre Hr. Prof. Frank.
9 — 10 im Lateinischen Hr. Prof. Apetz.
10 — 11 im Griechischen Hr. Prof. Zetzsche.

Mittwoch den 5. Vorm. in Prima:
8 — 9 im Griechischen Hr. Prof. Zetzsche.
9 — 10 in der Physik Hr. Prof. Braun.
10 — 11 im Lateinischen Hr. Prof. Frank.

Nachm. in Selecta und Prima:
2 — 3½ (Selecta 2 — 2¾, Prima 2¾ — 3½) im Französischen Hr. Prof. Köhler.
3½ — 4½ im Hebräischen Hr. Prof. Apetz.

Donnerstag den 6. Vorm. in Selecta:
8 — 9 in der Religionslehre Hr. Prof. Frank.
9 — 10 in der Mathematik Hr. Prof. Braun.
10 — 11 im Lateinischen der Director.

Freitag den 7. April Vormittags von 10 Uhr an: Translocation.

Nach einem kurzen Gesange und einer einleitenden Rede des Herrn General-Superintendenten Dr. Braune als Ephorus des Gymnasiums findet die Bekanntmachung der Translocation und die Vertheilung der Prämien durch den Director Statt.

Hierauf: Abiturienten-Entlassung.

Nach der Bekanntmachung der den einzelnen Abiturienten ertheilten Consistorialdiplome durch den Herrn Ephorus wird Rudolph Wilhelm Schulze aus Altenburg im Namen aller zur Universität Abgehenden in einer lateinischen Rede von der Anstalt Abschied nehmen, und der Selectaner Friedrich Hugo Richard Wimmer aus Altenburg im Namen der Zurückbleibenden darauf antworten. Hierauf Entlassungsrede des Directors.

Zu diesen Schulfeierlichkeiten lade ich die verehrungswürdigen Mitglieder des Geheimen Ministeriums und der Landescollegien, so wie alle Gönner und Freunde des Schulwesens überhaupt und unserer Schule inbesondere hiermit ehrfurchtsvoll und ergebenst ein.

II. Schulchronik.

Das Schuljahr 18$\frac{5}{5}\frac{2}{3}$ wurde am 18. März v. J. in gewohnter Weise mit der Entlassung der Abiturienten geschlossen. Bei dieser Feierlichkeit erhielt der Abiturient Oskar Hugo Braun aus Altenburg die Lingke'sche Prämie. Die Abiturienten Richard Geutebrück und Max Alexander Dietz, beide aus Altenburg, welche neben ihm dem hochverehrten Stifter und gegenwärtigen Collator der Prämie, Hrn. Finanzrath Lingke, durch das Lehrercollegium präsentirt worden waren, empfingen von demselben zum Andenken an den für sie so wichtigen Tag ihrer Entlassung von der Schule jeder einen goldenen Siegelring.

Die v. Lindenau'schen Prämien wurden den Abiturienten Oskar Hugo Braun und Max Alexander Dietz ertheilt.

Die Bücherprämien, welche die hiesige Loge mit gewohnter Liberalität dem Lehrercollegium zur Vertheilung zugewiesen hatte, empfingen die Selectaner Steinbach, Saupe, Leipold, die Primaner Eckardt, V. Reichardt, A. Wagner, der Ober-Secundaner Quaas, der Mittel-Secundaner C. Steiniger, die Unter-Secundaner Günther und B. Kellberg.

Die v. Breitenbauch'schen Stipendien erhielten die Selectaner Bräutigam, Scherff, Knipfer und Schiffmann, die Primaner Böttger und Stünzner.

Das Schuljahr 18$\frac{5}{5}\frac{3}{4}$ wurde Montag den 4. April mit der Prüfung der neu angemeldeten 20 Schüler begonnen. Am folgenden Tage nahmen die Lectionen in allen Classen ihren Anfang. Die Erbauungsrede, welche dem Beginn des Unterrichts voranging, hielt Hr. Prof. Huth.

